...ani: Applausus gratulatorius de Deo trino et uno.

APPLAVSVS
GRATVLATORIVS,
Ex Doctrina
ANGELICI DOCTORIS
S. THOMÆ AQVINATIS
desumptus.

DE

DEO TRINO & VNO.

IN

Castris Scholasticis ab Illustrissimo Duce RADZIWIL, copiose dotatis & munitis, ad Ædes SS. TRINITATIS, Sacri Ordinis FF. Prædicatorum occinendus.

AB

Alumno Aquilæ Radiuilianæ, P. Fratre

ADRIANO ZAGROBSKI S. Theol. S.

Sub Auspiciis

RR. PP. Moderatorum Generalis Studij Cracouien.

GRACOVIÆ, *Anno Dni M DC. XXXVIII.*

Mense Iunio Die Hora Pomerid.

In Stemma Illustrissimi.



REgia, Stemma tuum volucris, Dux Magne coronat,
In Patriam meritis, condecorare soles.

ILLVSTRISSIMO DOMINO,

D. ADALBERTO STANISLAO RADZIWIŁ:

Sacri Imperij Romani Principi,

DVCI IN OLYKA & NIESWIEŻ:

Magni Ducatus Lithuaniæ Supremo

CANCELLARIO:

Pinscen. Meuen. Thucholien. Caunen. &c. &c.

CAPITANEO,

Domino ac Mæcenati Amplissimo:

Fr. ADRIANVS ZAGROBSKI S. Th. S. Radiuilianus Alumnus, Ord. Prædic. perpet. F.

INnumeros credo adfuiße ILLustriß PRINCEPS, qui has Tuas nobilißimas Nuptias, hucq́; Torum præclarißimum, festiuis acclamationibus, lætiq́; acroamatis, debito cum honore tractauerunt & venerati sunt. Nec iniuria quidem: Nõ in paucos enim longè lateq́; effusa Tua beneficia hoc expostulare, vel verius dixerim efflagitare videntur. Quæ tanta tamq́; innumera extant, vt ea nedum exornare dicendo, sed nec enumerare recensendo quisquam valeret. Et quid est, cur ego etiam hoc sacrum Principalis

Connubij fœdus, in quo Nobilißimæ duæ Familiæ iunxere manus & voluntates, non venerer? Cur hoc sanctißimum vinculum Tibi Illustrißime Mæcenas non gratuler? præsertim cum magnus amoris affectuumque Tuorum, nedum in hunc Cōuentum meum Cracouiensem, in quo Lyceum ære Tuo copiosißimo auxisti, sed in vniuersam Familiam nostram Prædicatoriam in dies magis ac magis accrescens cumulus, Adamantis aut aut Pyropi instar, radiis liberalitatis coruscans, hoc exposcat ac requirat. Absit ni hoc faciam. Detestandæ etenim ingratitudinis nota, iure meritißimo mihi inureretur. Gratulor itaq; vobis Nobilißimi Gemelli hunc sanctum à Deo T. O. M. institutum Contractum. Viuite diu felices ac incolumes. Florete & crescite in gentem magnam, in decus ornamentumq; totius Regni nostri Sarmatici. Quod dum facio, ecce occurrit prisca ac vetusta Panonum obseruatio. Solebat apud ipsos vterq; nouorum Coniugum, Deos argenteos sibi mittere. Quid mysterij hæc superstitiosa obseruatio contineat, ego nec scrutor, nec scrutari volo. Relinquo hanc obseruationem vt superstitiosam, & multò conuenientius Vobis Nobilißimi Coniuges, iam non Deos argenteos, sed Deum in Trinitate vnum, in hoc applausu meo, mitto. Ille vos Ecclesiæ, Patriæ, atq; Ordini meo, seruet tam diu saluos & incolumes, quam diu Ecclesia, Patria, & Religio mea voluerint, optabunt & desiderabunt. Tu nunc Illustrißime Princeps, hunc Applausum Theologicum, grato animo accipe, & Maiorum Tuorum vestigiis insistendo, cum vniuersam Prædicatorum Familiam, tum me ipsum cum Conuentu meo, benignus semper foue, & ama. Vale.

APPLAVSVS THOMISTICVS.

DE Cognoſcibilitate Diuinarum Perſonarum qua cognoſcibiles ſunt.

I.

QVamuis Deus T. O. M. vt Vnus per rationẽ naturalem, nudè ſumptam, quatenus videlicet non eſt veſtita ſeu colluſtrata aliquo lumine ſupernaturali, nec inſtructa aliqua perſuaſione, ſeu fide humana, ſed ſolo ipſiuſmet naturæ adminiculo ſuffulta, poſsit cognoſci: Tamen aſſerere quòd vt Trinus eſt in perſonis, eidem cognitioni ſubiaceat, abſurdum iudico.

II.

QVI imaginantur Deum, vt Trinum poſſe naturali ratione cognoſci, derogant fidei dupliciter, primò quantum ad dignitatem, ſecundò quantum ad vtilitatem, trahendi alios ad fidem.

III.

NOn eſt tentandum probare quæ fidei ſunt, niſi per authoritates, his qui eas recipiunt: Apud illos verò qui Scripturæ authoritates non admittunt, ſatis eſt defendere non eſſe impoſsibile, quod prædicat noſtra fides, ſoluendo illorum rationes.

IV.

QVamuis intellectus humanus omnem conatum naturalem ad hoc impendat, vt mysterium Sanctissimæ Triadis possit penetrare; nihilominùs cognoscet hoc esse impossibile, ita vt nedum euidenter demonstrare, verùm nec probabiliter illud cognoscere valeat.

V.

NEque intellectus Angelicus, hac in parte est beatior intellectu humano, cum & ipse similiter, vi aut ratione purè naturali, mysterium hoc cognoscere non possit.

VI.

SVpposita tamen fide potest hoc mysterium non solùm similitudinibus & exemplis explicari, verumetiam probabilibus rationibus suaderi.

VII.

QVI autem ratione naturali hoc mysterium demonstrare vellet, esse impossibile, aduertet id sibi esse impossibile.

VIII.

NEC tamen inde arguere licèt hoc mysterium esse contra rationem, sed potiùs dici debet suprà rationem naturalem.

IX.

NON est cur formidemus asserere possibile esse, hoc mysterium in hac vita euidēter cognoscere quoad An est, euidentiâ in attestante, vti cognouerunt Angeli, Prophetæ, Apostoli, & Adam protoplastes. Hoc tamen dicere de homine, qui nunquam vidit Deum, quod videlicet euidenter mysterium Trinitatis cognoscere possit in seipso, tam quoad An est, quàm quoad Quid est, est absurdum.

X.

INtellectus naturalis tàm Angelicus quàm humanus, etiam fidei lumine collustratus, non potest habere demonstrationem mysterij Sanctissimæ Trinitatis.

XI. Neq;

XI.

NEque virtute Diuina potest dari aliqua species creata, quæ sit euidenter repræsentatiua Trinitatis, quoad quid est: Secus autem dicimus de quo ad An est.

XII.

PRobabiliter tenemus, animam Beatissimæ V. Mariæ, per scientiam sibi infusam, euidenter cognouisse mysteria fidei, præcipue verò mysterium Trinitatis, quantùm ad quæstionem An est: differenter tamen à Christo. Illa enim cognouit hæc mysteria euidentiâ in attestante, à principio extrinseco: Anima autem Christi Domini, per suam scientiam infusam, euidenter cognouit, hæc eadem mysteria, ex ipsa natura obiecti.

XIII.

NON potest haberi cognitio euidens Sanctissimæ Trinitatis ex creaturis seu effectibus ordinis naturalis: Benè verò ex effectibus supernaturalibus.

XIV.

LIcet Ethnici Philosophi expresserunt nomina SS. Trinitatis, puta Patrem, Verbum seu Sobolem, & Flatum: per hoc tamen istud mysterium lumine naturali non cognouerunt, aut ab aliis reuelatum acceperunt.

XV.

RAtiones cognoscendi Diuinas personas, hoc est notiones personarum Diuinarum, necessariò dari, fides nostra docet.

XVI.

HÆ autem N tiones, non solùm sunt in nostris conceptibus, sed etiam à parte rei in ipsis Personis Diuinis reperiuntur.

XVII.

NEC puto quempiam reperiri, qui notiones Personarum Diuinarum (nisi à verâ Theologia deuiare voluerit) ab ipsis personis, quarum sunt Notiones, distinguere ex naturâ rei, asserere præsumeret.

XVIII.

XVIII.

SI autem aliquis, distinctionem aliquam, inter proprietates seu notiones Personarum Diuinarum, ac ipsas Personas posuerit, benè de doctrina fidei merebitur.

XIX.

SI verò has Notiones numerare volueris, cum Angelico Doct: D. Thoma eas (nisi errare volueris) numera, quinque scilicet, Innascibilitatem, Paternitatem, Filiationẽ, communem Spirationem & Processionem: qui numerus adeò est perfectus, vt etiam nulla aut industria, aut subtilitate Doctorum possit augeri, vel minui.

XX.

ET contrarium opinari circa has notiones, aduertendo quòd ex hoc sequatur aliquid contrarium fidei, non licet, absque detestanda hæresis nota: secus si opinans non intendat sustinere aliquid contrarium fidei.

XXI.

ANtiquis tamen Patribus licebat absque periculo hæresis, & absque temeritate, contrariè opinari de Notionibus.

XXII.

NVnc verò tàm illam opinionem, quæ negat Notiones, quàm illàm quæ istam confingit, licet non asseramus esse hæreticam, dicimus tamen esse temerariam.

De Persona

De Persona Patris.

XXIII.

ETSI apud Græcos DD. Pater Diuinus dicatur Causa Filii & Spiritus sancti; Apud Latinos tamen, simpliciter & absolutè, hoc asserere nefas est.

XXIV.

VNde conuenientiùs Pater dicitur ab iisdem Latinis Doctoribus, principium Filii, & Spiritus sancti, consequenter totius Deitatis, non eò quòd Deitatem generet, vel spiret, sed eò, quòd secundùm totam perfectionem eiusdem, eam communicet aliis Personis, omni modo, quo communicabilis est.

XXV.

HÆC etiam propositio, Pater est principium totius Trinitatis, in rigore non est falsa vel impropria, sed Catholicè potest vsurpari.

XXVI.

HOC nomen Pater est proprium Personæ Patris: tamen absolute loquendo, non est æquè proprium illi, ac hoc nomen Socrates personæ humanæ: si autem Pater consideretur, vt est nomen suppositi Diuini, est æquè proprium Personæ Patris, ac hoc nomen Socrates alicui personę humanæ: secus verò, si vt est forma relatiua accipiatur.

XXVII.

HOC nomen Pater, per prius dicitur in Diuinis personaliter, quàm essentialiter, non solùm secundùm durationem temporis, sed etiam secundùm ordinem naturæ. Hinc etiam nomen Patris in Deo respectu creaturarum, non dicitur de Deo propriè, sed Methaphoricè. Vnde Paternitas notionalis & essentialis Diuina, non conueniunt in aliquo vno conceptu simpliciter, sed in vno proportionaliter, quorum alter est proprius, alter similitudinarius.

XXVIII.

ET tamen licet Filiatio creaturæ vt est Dei Filia, sit imperfectior Filiatione Diuina, tàm secundùm esse, quàm secundùm veritatem Filiationis, quatenus scilicet, non est vera, sed similitudinaria Filiatio; perfectior tamen est, naturali Filiatione creaturæ, ita quòd Petrus vt est Filius Dei, ratione vestigii, imaginis, gratiæ, gloriæ, est seipso perfectior, quatenus est Filius sui Patris humani.

XXIX.

QVocirca etiam, licet nomen principii, respectu creaturarum absolutè sumptum, dicatur de Deo propriè: attamen si nomen principii essentialiter sumpti, comparetur ad esse principii notionaliter sumpti, non dicitur de Deo propriè, nec vniuocè, sed impropriè, & Analogicè.

XXX.

INgenitum esse, Patri proprium esse, concors rectè Theologisantium Schola affirmat, sumendo Ly ingenitum, prout excludit omnem originem, seu processioné passiuam: prout autem Ly, ingenitum idem sonat quod increatum, remouetur à Patre. Nec prout negat generationem præcisè, est proprietas Patris.

De Persona Filij.

XXXI.

NOmen Verbi, secundùm quòd propriè in Diuinis accipitur, oportet personaliter tantùm accipi, & non essentialiter: quod nullatenus significat munus & officium legati, Diuinam voluntatem nobis manifestantis, & exponentis, vt Arriani blaterant. Sed Filium Dei Christum, non quâ est homo, sed quâ est Deus, vt veritas ipsa docet. Ea enim ratione Christus, quâ nobis Diuinam voluntatem manifestauit & exposuit, ne figuratè quidem aut impropriè, potest dici Verbum Dei.

XXXII.

XXXII.

CHristus est proprium & naturale Dei Verbum, in Deo naturaliter existens, quod est Diuina persona, quæ est, & dicitur Filius Dei: Licet etiam, sub nomine Verbi, possit intelligi res essentialis, ipsa scilicet essentia Diuina, vt est per se species intellecta: Verumtamen non debet vsurpari hæc significatio, & si vsurpetur, non poterit dici Verbum propriè, sed cõmuniter tantũ.

XXXII.

VErbum Diuinum, & Spiritus S. quoad suam completam, & integram rationem, necessariò procedunt, illud ex cognitione, iste verò ex amore, nedum essentiæ & Personarum, verùm etiam omnium creaturarum, tàm possibilium, quàm existentium, immo etiam non existentium.

XXXIV.

VErbum propriè dictum in Diuinis, personaliter accipitur, & est proprium nomen Filii, & non Methaphoricum, eandemq; rationem constitutiuam habet Verbum, quam & Filius, & tamen istos Terminos Synonimos dicere, nefas est.

XXXV.

VErbum Diuinum seu Filius Dei, secundùm propriam rationem, & non tantùm connotatiuè (vt quidam asserunt) dicit respectum ad creaturas vt potè author, & principalis effector illarum, quas tamen, ex vi suæ proprietatis Personalis, non respicit actualiter & formaliter, sed Patrem dicentem, illas veró virtualiter solùm.

De Perso-

De Persona Spiritus S.

XXXVI.

LIcet tertia Persona in SS. Trinitate, non habeat proprium nomen: tamen nomen Spiritus S. ex vsu sacræ Scripturæ, conuenienter est ei accommodatum.

XXXVII.

HAnc quoque Personam Spiritus S. necessariò procedere à Filio, nemo negare debet. Etsi quis contrarium sentiret, neutiquam vel ignorantiæ, vel proteruiæ excusaretur, immò erraret in fide, si quidem per hoc tolleret realem distinctionem Spiritus sancti à Filio.

XXXVIII.

NEC etiam quisquam trepidare debet dicere, quòd Pater per Filium spirat Spiritum S. vel quod Spiritus S. procedat à Patre per Filium, quod idem est.

XXXIX.

NON debent tamen Pater & Filius pro pluribus principiis Spiritus S. haberi, sed pro vno eodemque, iuxta illud vulgare: In Diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat opposita relatio, quæ sola multiplicat Trinitatem. Cui sit Laus & Gloria in sæcula sæculorum. AMEN.

CRACOVIAE,
In Officina Typ. Matthiæ Andreouiensis,
Anno Dñi 1638.